PETRI MALLEI
RESPONSA
AD
INTERROGATA,
A TENEBRIONE QUODAM,
Plagiarii Patroni Protestantium
PLAGIARIO PERPETUO,
PROPOSITA EXIMIO PATRI
DU JARDIN
Ordinis Prædicatorum Provinciali.

ACCESSIT COMPENDIUM SENTENTIÆ QUA, RESPONSIS JAM PENE EXCUSIS, INTERROGATA LACERATA ET COMBUSTA SUNT.



LOVANII,
Typis JOANNIS BAPTISTÆ SCHELLEKENS
è regione Academiæ. 1723.
Cum Approbationibus.

PROOEMIUM.



Uàm in *Bellarmini Vindicati* Procemio non frustra monuerim, me Patroni Protestantium, seu potiùs Launoii, Du Pin, imò Hæreticorum cavillulos refutare, ne novi Hostes Ecclesiæ iisdem Constitutionem UNIGENITUS vellicare pergant, suam excusare conentur pervicaciam, insultentque Catholicis; res ipsa probat. Sparsum est enim Folium sine approbatione, sine nomine typothetæ, sine impressionis loco, hoc titulo: *Interrogata brevia proposita Rev. Adm. Ex. Patri* THOMÆ DU JARDIN *S. T. Doctori, Ordinis Prædicatorum Provinciali, circa Dissertationem ejus compendiosam de Bulla* UNIGENITUS: in quibus *Interrogatis* vix occurrit quidquam, quod non sive in *Bellarmino Vindicato*, sive in Opusculis prioribus anticipatâ confutatione enervarim. Cùm ergo Folium istud me quoque tangat, & ad salutem animarum Ecclesiæque gloriam intersit, ipsius Hostes ne tantillo quidem tempore apud imperitum vulgus triumphum canere & incautis illudere; meum esse censeo, ut, nullâ morâ interpositâ, Opus tenebrarum, quamvis contemptu dignum (utpote ex uno conflatum plagio) jam refutatum fuisse demonstrem, priusquam editum. Audiamus Tenebrionem, Folii auctorem.

§. I.

Negat, *Bullam* UNIGENITUS *acceptandam eo quòd* APOSTOLORUM PRINCIPI *à Christo dictum sit:* PASCE AGNOS MEOS, *&c.* Joan. 21. *Quærit* 1., *an juxta Regulam Concilii Tridentini, S. Scriptura explicanda non sit juxta unanimem SS. Patrum consensum? Dein, utrùm juxta Patres illud;* PASCE AGNOS MEOS &c. *in Petro dictum non sit ceteris Apostolis, ac proinde etiam illorum Successoribus Episcopis?* Ita Patronus Protestantium Stateræ part. 3. fol. 51. 53. 54. ex Launoio part. 5. ep. 8., Du Pin Differt. 5. c. 2.

Respondi ad 1. in *Bellarmino Vindicato* f. 184: moxque

que à f. 185. usque ad 193. inter cetera testimonia productis Patribus plurimis, imò & Conciliis, à quibus illa Christi verba explicantur pro infallibilitate Pontificis; provocavi, iterum ac tertiùm provoco Quênellianos; ut vel unum allegent Patrem, qui τὸ *Pasce Agnos meos* &c. interpretetur contra Pontificis infallibilitatem. Suâ ergo interrogatione Quæsitor constrictus tenetur. Multos item Patres,& Ecclesiam Gallicanam in Missa S. PETRI, jam à tribus ampliùs annis exhibui *Pastoris Boni* parte 1. à f. 72. Quæro, an in Polemico Quæsitore tolerandum sit, ignorare ea, quæ à tanto jam tempore sunt responsa? Quæro, an sit Viri honesti, ea dissimulare? Præsertim cùm nec Patronus Protestantium (qui *Pastorem* meum *Bonum* in aliis pauculis refellere conatus fuit, sed à me confutatus est in *Quênelliano inter Malleum & incudem*) nec ullus alius Quênellianorum, quidquam ad hæc reponere potuerit.

Respondi ad 2. in *Bell. Vindic.* f. 179. 180. 181. 182.; & evici; juxta illos ipsos Patres, quos pro hoc quæsito attulit Patronus Protestantium, τὸ *Pasce Agnos meos*, *Pasce Oves meas*, sensu litterali & immediato dictum non esse ceteris Apostolis; multo minùs Episcopis; sed Petro soli: imò id confeci ex ipsis verbis Christi citatis ab iisdem Patribus, & locis objectis quidem: item ex Patribus aliis f. 183. Præterea in hoc quæsito, nisi nugatoriè proponatur, necessariò supponi tria maximè absurda, & conjuncta cum hæresi, demonstravi f. 183. & 184. Denique à f. 179. usque ad 193. ostendi, infallibilitati Pontificis patrocinari ipsos Patres objectos, aliosque plurimos in hunc locum: quin & adjeci Generalia Concilia: indèque intulis Adversarium potiùs à Regula Tridentini recedere.

Quærit præterea, an ex eo quòd Pontifex sit Pastor Ecclesiæ, sequatur esse Pastorem infallibilem; cùm & Episcopi sint Pastores suæ Ecclesiæ, nec tamen infallibiles sint? Patronus Protest. f. 48. & 49., post Amesium Calvinistam.

Respondi f. 168. & 169., ac discrepantiam dedi apertissimam.

Quærit 3., an sequatur: Christus dixit facienda esse om-

 nia,

nia quæ dixerint Scribæ & Pharisæi SEDENTES SUPER CATHEDRAM MOYSI : *ergo dixit facienda esse omnia quæ dixerint, absque ulla exceptione; etiam* (cùm) *docerent filios dicere Corban?* Patron. Protest. f. 49. post Hæreticos, Witackerum, Hunnium, Junium.

Respondi f. 169. 170. 171., & ex Patribus demonstravi, verbis Christi objectis infallibilitatem Pontificis, è Cathedra Petri docentis Ecclesiam, mirificè confirmari. Quæro ergo, an Quæsitor cum Hæreticis à Gretsero confutatis tomo 1. Col. 1271. probandum suscipiat, 1. quòd Scribæ & Pharisæi isti, qui docebant filios dicere *Corban* (*quod est donum*, Marci 7. ✝. 11.; cùm filii prætextu donum offerendi Deo non satis juvarent parentes) *sederent super Cathedram Moysi?* 2. quòd id docerent *ex Cathedra* ista, seu ut Doctores totius Synagogæ?

Audiat interea præter PP. allatos S. Chrysost. illud Joan. 11. CÙM ESSET PONTIFEX *anni illius, prophetavit*, sic exponentem: *Vides, quanta sit* PONTIFICALIS *potestatis virtus?* .. *Non perpetuum jam Sacerdotium, sed annuum dabatur, ex quo venales facti erant Principatus : verumtamen* ETIAM SIC ADERAT IPSIS SPIRITUS. Iisdem verbis utitur Theophylactus, addens quòd *Spiritus S. operaretur in his* QUI UNCTI ERANT. Videat etiam Bedam. Hinc D. Thomas Quodlib. IX. art. 16. in O: *Magis standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet* DETERMINARE DE FIDE *quam in judicio profert, quàm* QUORUMLIBET *sapientûm hominum in Scripturis opinione; cùm* CAIPHAS, *quàmvis nequam, tamen* QUIA PONTIFEX, *legatur etiam insciùs prophetasse.* Hinc à Bernardo *Bell. Vind.* f. 190. R. Pontifex *auctoritate Moyses* appellatur : ab Innocentio III. *Past. Bon.* f. 60. *Deus Pharaonis* (quod nomen Moysi dedit Dominus Ex. 7. ✝. 1.) *inter Deum & hominem medius, citra Deum, sed ultra hominem, minor Deo, sed major homine*, QUI DE OMNIBUS JUDICAT, ET A NEMINE JUDICATUR; adeòque infallibilis est, ut Moyses.

Circa illud Christi : *Ego autem rogavi pro te (Petre) ut non deficiat* FIDES *tua : & Tu aliquando conversus* CONFIRMA FRATRES TUOS; *quærit* 1., *an* VEL ULLUS *SS. Patrum locum istum sic interpretatus sit, ut inde concluderet, Pontificem esse infallibilem?* *Et an* ALTUM *istud* SILENTIUM *SS. Pa-*

trum de infallibilitate, cùm maximè locus esset eam insinuandi, non sit vehemens præjudicium adversùs explicationem quam allegat Eximius Pater? Patr. Protest. f. 36. 53. 55. ex Launoio part. 5. ep. 2. & 6.

Respondi in *Bell. Vind.* à f. 31. usque ad 93., adducto integro SS. Patrum agmine; imò & Conciliis Generalibus. F. 87. in certamen vocavi Quênellianos, & rursus voco Quæsitorem, ut *vel ullum* proferat S. Patrem, qui locum istum sic interpretatus sit, ut negaret Pontificem esse infallibilem? Quæro etiam, an à Quæsitore confictum *altum silentium* SS. Patrum non sit *clamans* ipsius *mendacium*; si viderit quot Patres, imò & Concilia Universalia exhibuerim in *Pastore Bono* à f. 57. usque ad 65., altùm silente ipso Patrono Protestantium? Si non viderit; an non sit error temerarius, & in tali Quæsitore minimè ferendus? Quæro, an *altum* istud *silentium* utriusque non sit *vehementissimum præjudicium*, tum pro explicatione Fidei CATHOLICÆ proxima, tum adversùs Quênellianos, qui, dum respondere deberent, & non possunt, quærunt quod jam antea ipsis clarissimè ostensum est, quodque invenire nolunt?

Quærit 2., an præter alios Patres qui diversimodè locum istum interpretantur, etiam non sint plures qui intelligunt Christum orasse, ut Sedes Petri, seu Apostolica Sedes à fide numquam deficeret: & an sic ipse Bernardus loco ab Ex. Viro *allegato non sentiat; cùm ibidem dicat:* "*Cui enim* „*alteri* SEDI *dictum est aliquando: Ego pro te rogavi, ut* „*non deficiat fides tua.*„ *Numquid porrò* SEDES *intelligenda est cum omnibus qui Sedi adunati sunt?* Patron. Protest. fol. 34. 35. 53. ex Launoio citato, Du Pin Dissertatione 5. c. 2.

Respondi in *Bell. Vind.*, Patres, qui juxta Patronum Protestantium intelligunt Christum orasse, ut Sedes Petri, seu Apostolica Sedes à fide numquam deficeret, per *Sedem* metonymicè intelligere Pontificem in Apostolica Sede Petri *sedentem* (quam metonymiam aliis etiam Patribus usitatissimam esse, demonstravi f. 133. 134. &c.) imò etsi per *Sedem* non intelligerent Pontificem, tamen Sedis infallibilitatem à Pontificis infallibilitate derivare;

 adeò-

adeòque hanc à fortiori asserere. De Leone IX. id probavi à f. 63., de Gregorio VII. à f. 39., de Innocentio III. à f. 72., de S. Bernardo à f. 83.; qui in omnibus, quas vidi, editionibus sic habet; *Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi* PETRE, *ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, à* PETRI SUCCESSORE *exigitur: Et* TU *aliquando conversus* CONFIRMA *fratres tuos*; ubi perspicuè explicat, prærogativam infallibilitatis, quam *Sedi* tribuerat, *Petri Successoris* in ea sedentis prærogativam esse. Pluribus hoc luce clariùs ostendi ibid. Imò ipsum Patronum Protestantium per *Sedem Petri* intelligere debere Pontificem in illa *sedentem*, confeci f. 140. Denique etsi Patres illi nec per Sedem intelligerent Pontificem, nec infallibilitatem Sedis ab infallibilitate Pontificis derivarent; quæro, an affirmando infallibilitatem Sedis, negarent infallibilitatem Pontificis in ea sedentis? Quæro, an hanc non affirment aliis locis, quos ibidem exhibui? Quæro, an eamdem non tradant Patres alii, Concilia, etiam OEcumenica, locis jamjam indicatis?

Per *Sedem Petri*, seu *Apostolicam Sedem* nullo modo apud S. Bernardum intelligi posse *Sedem cum omnibus Sedi adunatis*, demonstravi f. 85. Idem patet legenti verba Leonis IX., Gregor. VII., Innocent. III.

Quærit 3., an verba ista S. Leonis M: " *In Petro omnium* „ *fortitudo munitur* „ *juxta apertissimam ejus mentem intelligenda non sint de singulari privilegio Petri, quo ceteros Apostolos post passionem confirmare debeat: cùm subdat mox hæc verba*: " *Divina gratia ita ordinatur auxilium, ut firmi-* „ *tas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apo-* „ *stolis ceteris conferatur?* „ Patron. Protest. f. 25. ex Launoio citato.

Respondi à f. 42., & verbis Leonis comprobavi, hæc juxta apertissimam ejus mentem intelligi non posse de privilegio Petri ut personæ privatæ; sed Petri, ut Pontificis: unde conclusi; si Petrus ut Pontifex post passionem debuit in fide confirmare ceteros *Apostolos*; multò magis fideles reliquos: proinde idem jam debent Pontifices Petri Successores: hoc verò debitum sine infallibilitate ridiculum, imò impossibile esse, ostendi fol. 188. &c.

Eadem

Eadem jam à triennio demonstravi *Past. Boni* p. 1. f. 57. 58. 65. Quæro, an hæc ignorare, vel dissimulare debuerit Quæsitor noster?

Antequam à SS. Litteris & interpretatione Patrum abeamus; quæro, an in *Past. Bono* non evicerim à f. 30. usque ad 36., Christum Petri & Successorum infallibilitatem his reveasse verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*? Eamque hìc revelatam agnovisse Patres à f. 36. usque ad 55.? Quæro, an non addiderim Patres alios in *Bell. Vind.* à f. 95. usque ad 166., solutis cavillis Patroni Protestantium? Idem quæro de verbis Exod. 28., & Deuteronom. 17. à f. 194. usque ad 197. Quid ad hæc Quæsita Plagiarius Patroni perpetuus?

Contra *argumentum* pro infallibilitate R. Pontificis *petitum ex his verbis S. Augustini:* A SEDE APOSTOLICA RESCRIPTA VENERUNT: CAUSA FINITA EST (quod *centies profligatum* vocat) *quærit* 1., *an sinceri Theologi sit, mentem illius Sancti indagare per sententiam aliquam* AMBIGUAM, *relictis aliis apertissimis & minimè dubiis; ex quibus constat* OBSCURIOREM *illam multò aliter quàm de infallibilitate R. Pontificis intelligendam?* Patron. Protest. f. 71.

Respondi in *Bell. Vindic.* f. 199., & planum feci, illam S. Augustini sententiam adeò esse *indubitatam*, adeò *manifestam*, argumentum ex ea sumptum adeò ineluctabile, ut ipse Patronus Protestantium tacere tandem coactus fuerit à *Theologo Romano Catholico* ab annis plùs quatuor. Quæro vicissim, an sinceri non dico Theologi, sed vel Plagiarii sit, cladem hanc minimè ambiguam aut obscuram dissimulare, in totius Belgii luce publica quærere tenebras, imò argumentum, quo protritus est Patronus Protestantium, tamquam *centies profligatum* exsibilare? Quæro, an hoc non sit fraudulenti Tenebrionis, & gloriolam ex dedecore captantis Thrasonis, aut Pyrgopolinicæ?

Plures *apertissimas & minimè dubias* S. Augustini sententias addidi f. 133. 138. 139. 188.; *ex quibus constat*, etsi illa foret obscurior, tamen *de infallibilitate* R. *Pontificis intelligendam.*

Quærit 2: *cur rectè sequitur;" Augustinus dixit, Româ*

„*mâ (ab Apostolica Sede) Rescripta venerunt*, *Causa finita* „*est* : „ *ergo Augustinus sensit Pontificem esse infallibilem* ; *dum non rectè sequatur* : *Augustinus respondens Pelagianis ac imprimis Juliano dixit*, " *Vestra... apud competens judicium communium Episcoporum causa finita est* : „ *ergo sensit Augustinus Episcopos esse infallibiles*? Lib. 3. cont. Jul. cap. 1. n. 5. Quæsitum hoc furatus est à Patron. Protest. f. 73.

Respondeo ex *Bell. Vind.* f. 71., & hoc ultimum rectè sequi : cùm causæ fidei *finiri* nequeant, nisi judicio infallibili. Non tamen Augustinus à communium Episcoporum numero exclusit Rom. Pontificem, qui Africanorum Episcoporum, seu Conciliorum particularium judicium supremo ac definitivo suo judicio confirmaverat; ante cujus judicium nusquam dixit causam Pelagianorum esse finitam, & cujus judicio per Rescripta accepto, finitam esse dixit serm. 131. de verbis Evang., &c. in *Bell. Vind.* fol. 138.

Quærit 3: *an utrobique dixit causam esse finitam, quia utrumque Tribunal credebat infallibile; an verò quia dicebat hæresim Pelagianam* APERTAM *continere* PERNICIEM, *quæ non* EGERET *Concilio Generali*, *sed tantùm* COMPETENTI JUDICIO : *uti id asserit l. 4. con. duas epistolas Pelag. cap. ult.* ? Patron. Protestant. ibidem & f. 77.

Responsum patet ex dictis : asseruit causam esse finitam, quia utrumque Tribunal, seu judicium, credebat infallibile; & R. Pontificis se solo, & Conciliorum Africanorum particularium confirmatorum à R. Pontifice. Numquam dixit, ideo præcisè causam finitam, quia ipse videbat hæresim Pelagianam apertam continere perniciem. Quæsitorem suâ interrogatione convincamus. Si, ut ait, dicebat Augustinus quòd hæresis Pelagiana, etsi *apertam contineret perniciem*, tamen *egeret competenti judicio*; nempe ut ea hæresis & pernicies legitimè declararetur Fidelibus; profectò sine illo competenti judicio causam finitam nec dixit, nec dicere potuit, nisi juxta Adversarium secum ipse pugnaret. Quod si tunc hæresis Pelagianorum *non egebat Concilio Generali*; quantò minùs nunc hæresis Jansenianorum, seu Quênellianorum, jam annis 80. à tot Pontificibus, ab Episcopis, totaque

Eccle-

Ecclesia toties, tam clarè, tam solemniter damnata; ut ostendi *Dialogo secundo*, annis abhinc tribus & ampliùs in lucem dato, tacentibus hactenus cum Patrono Protestant. Quênellianis universis? Si ergo Appellationem Pelagianorum ad Concilium Generale tantopere execratus est S. Augustinus, ut eodem loco subjecerit: *Orbem Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ Pastorali post factum illis competens sufficiensque judicium*, UBICUMQUE LUPI ISTI APPARUERINT, CONTERENDI SINT; quantò magis abominaretur Appellationes Quênellianorum, jam per tot annos, tot nefariis famosisque Libellis Supremum Caput totumque Corpus Ecclesiæ proscindentium?

Sed cur, inquies, Augustinus serm. 131. dixit causam esse finitam per *Rescripta* R. Pontificis; l. 3. cont. Julian. *apud competens judicium Episcoporum*?

R. Quia serm. 131. perorabat ad Catholicos anno 417. simul atque ab Innocentio I. Rescripta venerant; fatente Patrono Protestantium f. 74: at l. 3. cont. Julian. scripto an. 422. (teste eodem Patrono f. 75.) respondebat Juliano Hæretico, qui cum aliis 17. Episcopis Pelagianis jam ad Concilium provocaverat, & ipso loco objecto n. 2. Episcopos orthodoxos calumniabatur, quòd *priùs causam cœperant odisse, quam nosse*. Illud ergo ibi refellere debuit Augustinus, non Pontificis infallibilitatem defendere. Quamquam nec hoc omnino prætermisit. *Jam*, inquit, *superiore libro respondi*; lib. 2. cap. ult., ubi inter cetera hæc habet: *Lege, quæ dicat in laudem beatissimi Papæ Innocentii Pelagius*; nempe in *Libello fidei*, quem ab Africanis Conciliis appellans ad Innocentium misit. *Hæc est*, inquit, *fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus. In qua si quid minùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui* PETRI ET FIDEM ET SEDEM TENES. *Sin autem hæc nostra confessio* APOSTOLATÛS TUI JUDICIO *comprobatur*, QUICUMQUE *me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam* NON CATHOLICUM, *non me Hæreticum comprobabit*. Habetur in Appendice partis 2.

tom.

tomi X. S. Augustini : & illius disertè meminit ipse Augustinus l. de grat. Christi c. 30: c. 32. integram ex eo sententiam refert. Ergo S. Augustinus infallibilitatem ab ipso Pelagio tributam fuisse Pontifici, Pelagiano isti objecit. Rursus l. 1. cont. Jul. c. 4. dixerat : *Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid* ENIM POTUIT *Vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia?* Hìc rursus traditam ab Augustino Pontificis infallibilitatem probavi in *Bell. Vind.* f. 139. adversùs Launoium. L. 2. cont. duas ep. Pelag. c. 3. apertè ait : *Litteris beatæ memoriæ Papæ Innocentii... de hac re dubitatio* TOTA *sublata est*; quibus verbis infallibilitatem asseri, demonstratum vide f. 138.

Itaque infallibilitatem Pontificis arctè tenuit Augustinus, non tantùm perorans ad Catholicos, sed etiam Hæreticos appellantes impugnans, & iis in Operibus tenuit, quæ objiciuntur.

Fidelissimus contra Pelagianorum Reliquias Interpres Augustini, acerrimusque vindex S. Prosper causam Pelagianorum & Judicio R. Pontificis finitam fuisse, & ob illius Judicium à tota Ecclesia damnatam Pelagianam hæresim, docet locis à me citatis in *Bell. Vind.* f. 14. & 198. Idem professi sunt 30. Episcopi Galliæ f. 199.

Augustinum sunt imitati Episcopi plerique Catholici, dum contra Quênellianos urserunt Judicium Episcoporum, licet simul infallibilitatem Pontificis acerrimè illis objecerint. Patent hæc ex authenticis ipsorum Epistolis in libro qui inscribitur : *Le témoignage de l'Eglise Universelle en faveur de la Bulle Unigenitus.* Vide etiam *Dialogo meo secundo* f. 44. pulcherrimum testimonium Cardinalis Noaillii cum aliis undecim tum Archiepiscopis tum Episcopis Galliæ in Litteris datis ad Clementem XI. de sententia Cleri Gallicani circa acceptationem Constitutionum Apostolicarum : ex quibus Litteris Cardinalem illum convicit *S. Ecclesia Romana* an. 1716. in ea Epistola, quam exhibui *Pastoris Boni* part. 1. f. 94. & seqq. Ullusne Quênellianorum verbum unum respondere ausus est?

Quærit

Quærit demum, cur idem Augustinus in causa Cypriani adversùs Stephanum Papam, nusquam dixerit : " A Stephano Rescripta venerunt, causa finita est : ,, sed constanter asserat, causam esse finitam plenario totius Orbis Concilio? Lib. 1. de bapt. cont. Donat. c. 7. & alibi sæpius. Patrou. Protest. fol. 72. ex du Pin.

Responsum est centies : Quia S. Stephanus nihil de valore Baptismi ab Hæreticis collati definierat, tamquam fide tenendum; nam Cyprianum alio que contrarium sentientes non excommunicavit (sicut S. Innocentius I. necessitatem gratiæ definierat, & Pelagianos excommunicarat in suis Rescriptis ad Concilia Africana :) sed tantùm præceperat servari consuetudinem non rebaptizandi baptizatos ab Hæreticis. Ut patet tum ex verbis Stephani : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus imponatur in pœnitentiam*, tum ex Augustino l. 2. de bapt. cont. Donat. c. 9. & alibi sæpissimè. Valor talis Baptismi tantùm definitus fuit postea in Concilio plenario, teste Augustino. Hinc quia Donatistæ, non obstante plenario Concilio, pergebant negare valorem Baptismi ab Hæreticis collati, eos tamquam in hoc jam apertè Hæreticos plenarii Concilii auctoritate mactavit Augustinus. Præceptum Stephani de non iterando Baptismo ab Hæreticis collato erat extra statum quæstionis de valore talis Baptismi. Videbat etiam Augustinus, Donatistas qui plenarii Concilii definitionem contemnerent, multo faciliùs solùm præceptum Stephani contempturos: dicturos etiam, Cyprianum, qui præceptum illud scriptis acriter exagitarat, semper in Ecclesia fuisse; ac proinde se vi hujus præcepti ut Hæreticos traduci non posse ab Augustino, nisi ut Hæreticus traduceretur Cyprianus. Quid respondisset Augustinus? Quid respondisset Quæsitor, si Augustini fuisset loco? Hinc semper ita inculavit Donatistas, ut, quantùm posset, excusaret Cyprianum : Concilium ipsis plenarium, non præceptum Stephani Cypriano datum objecit.

Ipse Cyprianus, loco citato in *Past. Bono* part. 1. f. 105., ait : *Navigare audent ad Petri Cathedram, & Ecclesiam Principalem : nec cogitant eos esse Romanos, ad quos perfi-*

dia

illa NON POTEST *habere accessum*; nempe quia semper obtemperant Petro in suis Successoribus *vice Christi judicanti*. Vide *Bell. Vind.* passim, & infrà f. 13.

Miror, inquit Quæsitor, *te usque adeò contemptim loqui de impugnatoribus Pontificiæ infallibilitatis, quasi minutissimo sint numero; postquam editis libris tanta testium nubes è sacra antiquitate producta est, atque adeò ex vestra Familia*; QUIDQUID SENSERIT D. THOMAS. *Quæ si ignoras, crassissima inscitia; si nosti, perversæ voluntatis argueris.*

R. Miror ego, extra oleas vagari Quæsitorem; cùm Vir Eximius tantùm dixerit, *pauculos* esse *Gallos Appellantes*; & meritò: quippe *Dialogo primo* ostendi, Appellantes ne millesimam quidem partem Orthodoxorum æquare, etiam in sola Gallia. Non dixit, minutissimum esse numerum *impugnantium Pontificiam infallibilitatem*; etsi antea verè asseruerit, *paucos* illorum CONTENDERE, *Rescripta Romana, dum Aug. dixit causam finitam*, EX TUNC *totius Ecclesiæ consensu fuisse firmata*; idque *perperam*, ut probavit ex ipso Nat. Alex. Minutissimus tamen est; imò nullus, si *sacrâ* antiquitate, etiam Galliæ, standum sit. Patres Gallos enumeravi plurimos tum *Pastoris Boni* part. 1., tum in *Bell. Vind.* Addam multò plures, si Quæsitor velit.

Nubem testium è *sacra* antiquitate, quam productam jactat, exhibeat, si Vir est: unum saltem Patrem producat, etiam Gallum. Multa ergo quærit, probat nihil.

Theologos *S. Familiæ Prædicatorum*, à Patrono Protestantium productos ex Launoio, vindicavit Eruditissimus P. Guilielmus Poelman ejusdem Ordinis, atque hominem loquacem reddidit Harpocraten. *Quæ si ignorat* Quæsitor, *crassissima inscitia; si novit, perversæ voluntatis arguitur.*

Divum Thomam jactarat Patronus Protestantium Stat. p. 3. fol. 119. *tam* infallibilitati Pontificis *adversum* esse, *quàm* nos *eum favere* existimemus. Doctorem Angelicum clarè & constanter totum nostrum esse, imò ab infallibilitate Pontificis derivare infallibilitatem Ecclesiæ, probavi 1720. in *Past. Bono* f. 66: anno sequenti miserum Patronum, ut par erat, depexum dedit R. P. Poelman. Gaudeo id à nobis effectum, ut effutire cogatur Quæsitor: *Quidquid senserit D. Thomas.*

Ignorare non potes, ait, *totam Ecclesiam Gallicanam stare*

pro duobus Conciliis, Constantiensi & Basileënsi, in quibus Pontificia infallibilitas confixa est. Patronus Protest. in Commonitorio Schismatico f. 8., & Stat. p. 3. f. 92. 99.

R. Ignorare non potest Quæsitor, me *Past. Boni* p. 1. f. 26. & seqq., p. 2. f. 51. Patrono isti de his omnibus imposuisse silentium. Si ignoraret tamen, *crassissima inscitia* suo ipsius ore *argueretur*.

§. II.

NEgat Tenebrio, saltem Romani Pontificis definitionibus obediendum, quamdiu ab ipsa Ecclesia, sive à Corpore Episcoporum improbatæ & falsitatis convictæ non fuerint.

Quærimus, inquit, *an* VAGA *ista obedientia sine ulla exceptione, ut antè dictum est, non sit* AB IPSO CHRISTO DAMNATA *in Evangelio, dum liquidò docet peccasse liberos, quando... Scribis & Pharisæis obediendo dicebant Corban? An etiam non stet firmum fundamentum Dei*, OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS, QUAM HOMINIBUS. Act. 5. ℣. 9. Patronus Protest. Stat. p. 3. f. 19. & 49. post Lutheranos & Calvinistas.

Respondi hìc f. 4. probandum Quæsitori cum Lutheranis & Calvinistis jam confutatis, Scribas & Pharisæos istos & fuisse Summos Pontifices, & definivisse, à tota Synagoga dicendum *Corban*. Sanè liquidò præcepisse Deum, ut Summis Pontificibus Judæorum obediretur absque ulla exceptione, etiam pœnâ capitis non obedientibus propositâ; evictum dedi in *Bell. Vind.*, ubi à f. 16. ursi illud Deuteronom. 17. ℣. 12. & 13: *Qui autem superbierit, nolens* OBEDIRE *Sacerdotis imperio..., morietur homo ille..., cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ.* Et illud Josephi: *Dijudicat controversias* (Summus Pontifex) *cui qui non* OBEDIT, *is pœnas luit, tamquam in ipsum Deum impius.* F. 198. ex Deuteronomii verbis concludit S. Bonaventura: *Multo fortiùs tempore veritatis & gratiæ revelatæ, quando Christi Vicario plenitudo potestatis collata esse dignoscitur, malum esse constat*, NULLATENUS ESSE TOLERANDUM, *in fide vel moribus ejus diffinitioni dogmatizare contrarium, &c.* Imò S. Cyprianus ibidem docet, *non aliunde* HÆRESES *obortas, aut nata* SCHISMATA,

MATA, *quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non* OBTEMPERATUR. – Dei Vicario obedientes, neglectis allatrantibus Quênellianis, *Deo magis quàm hominibus obedire*; Dei Vicario non obedientes ob Hæreticorum istorum sophismata & calumnias, hominibus magis obedire quàm Deo, imò Deum spernere, patet ex *Bell. Vind.* f. 80. Pulchrè S. Nicolaus ep. 10. ad Clerum Constantinopolitanum apud Lab. t. 8. col. 364. *Nolite*, inquit, *nobis inobedientes esse, quoniam inobedientia Protoplastum, de paradiso expulit. Inobedientia idololatria meritò nuncupatur, sicut Sanctus Samuel ad Saülem loquitur: " Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. " Perpendite ergo, quantùm sit execrabile repugnare, quantùm detestandum acquiescère nolle, quod ariolandi peccato, scelerique idololatriæ comparatur. Clamat Apostolorum Princeps* (Actor. 4.) OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS, QUAM HOMINIBUS; *& Coapostolus ejus Paulus* (Rom. 13.) " *Qui resistit, inquit, potestati, Dei ordinationi resistit.* " *Judicate ergo cui potiùs obediendum sit*; DEO, AN HOMINIBUS: *Judicate, cui potiùs resistendum sit; potestati, quam in Petrò Deus omnipotens ordinavit; quamque* SUPER CUNCTA ECCLESIA *extulit, an ordinationi Gregorii Syracusani* (Quênelli) *cui merito malitia sua dicendum est: Væ homini, videlicet per quem in Ecclesia Christi tot scandala venerunt; quique olim, sicut ipsi scitis..., à fratre & comministrò nostrò Ignatio* (Humberto illustris memoriæ) *depositus* (anathemate percussus) *est*: eòque numquam solutus terribile Christi Tribunal adire est ausus. S. Nicolaum I. sibi infallibilitatem vindicasse, contra Patronum Protestantium planissimè demonstratum vide in *Bell. Vind.* à f. 58. Sacrâ hac sententia: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, abusi etiam sunt Lutherani & Calvinistæ, ut in damnandis hæresibus suis, quas à Deo esse mentiebantur, numquam obedirent.

§. III.

NEgat Quæsitor admittendam Constitutionem ob INANE SIMULACRUM (ut loquitur) *cujusdam* ACCEPTATIONIS, *qua* Eximius Pater FINGIT, *Bullam Unigenitus*

genitus ab universa Ecclesia acceptatam. Addit : *Id* FIDENTER *dico, te omnes ejusmodi acceptationis Regulas vel ignorare turpiter, vel pessimè dissimulare.* Patronus Protest. Stat. p. 2. à f. 78., & p. 3. à f. 213. usque ad 217.

Respondi Patrono Protestantium jam à quadriennio *Dialogo* 1. & 2, atque iterum *Pastoris Boni* p. 1. à f. 128.; & hominem linguacem elinguem reddidi. Quæ *si ignorat* Quæsitor, *crassissima inscitia, si novit, perversa voluntatis* suis verbis *arguitur.*

Fidenter, imò confidentissimè dicere Quæsitorem, quæcumque dicit, omnibus Orthodoxis, quin & Quênellianis patet, etsi ipse nullus moneret. Confidentissimè sanè vocem totius Ecclesiæ ut *inane simulacrum* explodit : cùm jam à tot annis demonstrarim, quòd (Viri planè Eximii verbis libenter utor) *Nullius Pontificis maximi Bullam dogmaticam, puta Leonis X. contra Lutherum ; Pii V. contra Baium ; Innocentii X. & Alexandri VII. contra Jansenium ; Innocentii XI. contra Molinos ; Alexandri item VII. & Innocentii XI. contra laxiores Casuistas ; Alexandri VIII. contra Rigoristas*, ADEÒ SOLEMNITER *Ecclesia acceptarit, quàm Bullam Unigenitus contra Quênellum : Utpote quam omnes totius Europæ Episcopi, Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Siciliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Germaniæ, Belgii, quin & ipsius Regni Galliæ, si paucissimos Appellantes excipias, non solùm* CONSENSU TACITO (*uti alias Bullas prænominatas*) *sed etiam* EXPRESSO *acceptarint*, PROBARINT, MIRIS LAUDIBUS IN CŒLUM USQUE EXTULERINT, ET AMBABUS ULNIS AMPLEXATI SINT ; *quemadmodum ex eorum Litteris authenticis, & propriis testimoniis, typis editis, & quaquaversum divulgatis, toti orbi apertissimè constat.* Hæc Quênellianis objecit Eximius Pater, de his ego Patronum Protestantium jam à tot annis plùs semel convici ; nec contrà mutire quidquam ausus fuit : qua ergo fronte ipsius Plagiarius vocem tam expressam, tam solemnem, tam exultabundam Ecclesiæ, Supremo Pastori Suo, tamquam venenatorum dogmatum & Luporum exterminatori gloriosissimo plaudentis, *inane simulacrum* appellare non reformidat ? Qua fronte vocem illam Ecclesiæ, tam clarè, etiam ipsius Patroni Protestantium, & reliquorum Quênellia-

nellianorum silentio probatam, quotidie magis ac magis omnium aures animosque pulsantem, *fingi* calumniatur? Si Molinosi Sectatores, si Casuistæ laxiores decem annis ab acceptatione tacita Bullarum, quibus dogmata ipsorum damnata fuerant, Orthodoxis acceptationem istam objicientibus respondissent, tantùm esse *inane simulacrum acceptationis, quam fingerent*; quot diris ipsos devovissent Janseniani? Cur ergo Catholicis acceptationem Ecclesiæ apertissimam, maximè solemnem, approbationem, laudationem planè singularem, imò defensionem objicientibus sic respondent; præsertim postquam responsio ista aliunde etiam jam à tot annis protrita jacet?

Acceptationis Regulas dum Ecclesiæ post Patronum Protestantium diu profligatum præscribit novus Doctor Ecclesiæ, apertè ostendit se judicare, Ecclesiam in dogmatibus fidei acceptandis errare posse: imò & in approbandis, laudandis, omnibus Fidelibus sub anathemate proponendis. *Fidenter dico:* ipsum absolutam Ecclesiæ infallibilitatem, & confutationes meas *vel ignorare turpissimè; vel pessimè dissimulare.*

Quærit breviter..., an conquisitio (examen) *observata fuerit ab ullo Episcoporum, qui Bullam amplexus est solo motivo infallibilitatis? An qui prævio examine & cum judicio acceptant, non debeant convenire de sensu* Bullæ? *An verò illi censendi sint unanimes in sensu & fide..., quorum alii simpliciter, alii non nisi restrictè acceptant* Bullam*: alii juxta verborum tenorem, alii non nisi relatè ad suas explicationes.* Patronus Protestantium loco citato.

Ad has & alias similes quæstiones, calumniæ plenas, respondi ipsorum Episcoporum verbis satis prolixè ab annis plùs tribus toto *Dialogo* 2., *Past.* Boni p. 1. à f. 132., item *Dial.* 3.; nec Patronus Protestantium, nec Scriptor *Dissertationis, qua examinatur, an Constitutionem Unigenitus acceptaverit Ecclesia*, nec Auctor libri, *Le faux Schisme des Appellans*, quidquam reponere vel ausus est, vel potuit, ut Scripta sua defenderet; quamquam omnes sæpius provocarim. *Fidenter dico*, Quæsitorem hæc *omnia vel ignorare turpiter, vel pessimè dissimulare.* Quæro breviter, an quidquam habeat, quo contra responsa mea suam

tueatur

tueatur calumniam, qua contendit, Ecclesiam in acceptanda ac proponenda fidei regula errare posse, imò reipsa errasse turpissimè? An arma non eripiat Catholicis adversùs errores superiorum temporum? An non faveat errorum Auctoribus? Si argumentum in ipsum retorqueant, an non sit hæsurus pisce mutior?

Quod effutit: *Bulla explicationibus..., veluti pannis obvolvi debuit, ut vultum aliquem honestum præferret*, Scurrâ Luthero contra Bullam Leonis X. digna blasphemia est.

Pergit: *Tuere gratiam tuam Thomisticam, affer lacinias tuas: quære sensus abstrusos quos condemnes, cùm obvios non audes. Dicet tibi in os Pater Fontanus Jesuita, te* ILLUDERE ECCLESIÆ DEI. *An verò magis convenit inter Episcopos Acceptantes, quàm te inter & Patrem istum?* Ita Patronus Protest. in *Specimine servitutis, quam servire jubetur Schola Augustiniana sub Molinistica* f. 92. &c: quamquam hic tantùm Patrem Fontanum calumniatus sit, quasi *non dubiè significet, sententias Scholæ Thomisticæ, oppositas Molinismo, per Constitutionem damnari*; non verò, Thomistas *Ecclesiæ illudere.* Hìc autem ipsius Plagiarius plus audet, simulque calumniatur Eximium Virum, & Thomistas, quòd fidei regulam mente restringant.

Respondi universè *Dial.* 2. f. 112., mendacium esse, ullum Jesuitam gratiam Thomisticam, seu per se efficacem, *erroneam* dicere; nedum *illusionem Ecclesiæ*: & responsum probavi.

Nominatim à Patre Fontano similem calumniam depulit *Theologus Romano-Catholicus* in Appendice Libelli, cui titulus: *Patronus Protestantium ad extrema redactus*, ubi etiam notat, quòd Fontani liber prodierit non tantùm permittente Fr. GREGORIO SELLERI *Sacri Palatii Apostolici Magistro, Ordinis Prædicatorum*, sed etiam magnificè approbante Fr. AUGUSTINO PIPIA, ejusdem Sacri Ordinis, tunc *S. Congregationis Indicis Secretario, ac S. R. & universalis Inquisitionis Qualificatore*; nunc totius Sacri Ordinis Magistro Generali. *Tantâ*, inquit Vir ille, *se gerit erga* CATHOLICORUM SCHOLAS *modestiâ & observantiâ, ut firmam ipse spem conceperim etiam* THOMISTICÆ ALUMNOS *hoc volumen haud parvi facturos. Sic enim Auctor totam hanc mate-*

viam pertractat, *ut legenti clarè constet*; *ex* NULLIUS PARTICULARIS SCHOLÆ PLACITIS *pendêre damnatorum Articulorum confutationem.* In Approbatione Tomi 2. dicit: *Damnatas propositiones ibi confutatas validissimè..*, *præsertim verò* SS. AUGUSTINI *&* THOMÆ, *quibus ubique redundat*, *auctoritatibus*, *non in alienos detortis sensus*, UT DETORQUERE SOLENT ADVERSARII; *sed juxta* GENUINAM *utriusque S. Magistri* MENTEM. *Eâdem itaque approbatione*, *qua primum Tomum approbavi...*, *secundum Tomum approbo*; *& commendo*, *præclarissimumque*, *& Christianæ Republicæ perutilem*, *prælo*, *luceque publicâ*, *ac immortalitate dignum censeo.* Idem effusis laudibus prosecutus est Tomum 3. Fungosne putat Quæsitor, aut stipites Viros tantos, ut Opus adeò Scholæ suæ injuriosum comprobarint, tamquam *genuinæ* SS. Augustini & Thomæ *menti* consentaneum, & à Thomistis *non parvi faciendum*? *Fidenter dico*, Quæsitorem hæc *vel ignorare turpissimè*, *vel pessimè dissimulare*, ut inter Scholas Catholicas, quæ Quênellianos Hæreticos conjunctis armis animisque debellant, discordias seminet, & per atroces quidem convictasque calumnias. Et ubi Thomistis ea in os dicit Fontanus, ex quibus pomum discordiæ captat Quæsitor? Hîc *laciniis*, hîc *fasciis* frontem obvolvat, quàm fortassè ne Quênellianis quidem moderatioribus audebit ostendere, ut qui Folio suo toti Factioni non mediocriter nocuerit.

Ceterum calumniam in Refractarios rejeci *Dial.* 3. à §. 101., & inter *Appellantes*, *Protestantes*, *Deliberantes* non magis convenire ostendi, quàm juxta Gregorium IX. in Constitutione contra Catharos &c. convenerit inter vulpes Samsonias, aut Cadmæos fratres. Idne etiam Quæsitor *ignorat turpiter*; an *pessimè dissimulat*?

Jactat denique: *Possem plura alia adjicere*, *si tempus suppeteret.* Quin & insultat: *Si ritè satisfacere detrectes*, *aut ne mussare quidem ad hæc audes*; *clamitabunt omnes*, *non esse Christiani hominis*, .. *nullo fundamento fratres suos hæresios insimulare.* Patronus Protestantium passim.

Respondi in Opusculis meis jam sæpe ad *plura ista alia*, quæ à Patrono Protest. furari posset, *si tempus suppeteret.* Quênellianos *fratrum*, seu Catholicorum nomine falsò gloriari

riari, evici sæpissime; quæ *ignorat turpiter, vel pessimè dissimulat* Quæsitor. Si *tempus non suppetit*, quia ex arena disputationis discedit; gratulor, quòd sibi consulat: hortorque, ut tempus quod ad deponendam & retractandam pertinaciam suppetit, avidè arripiat: ne frustra vel horam inclamet, cùm *tempus non erit ampliùs*. Apoc. 10. ẏ. 7. Si hortanti mihi *satisfacere detrectet*; & tamen *ne mussare quidem ad hæc audeat*, clamitabunt omnes, esse Hæretici convicti, non habere quod musset adversùs fidei Catholicæ regulam, nec tamen eam amplecti velle. Sin hanc post S. Facultatem *Nannetensem* 1. Feb. 1723. (quam olim errantem Patronus Protest. ostentabat Ducem) nec non *Pictaviensem* 2. Jan. 1723., amplexus fuerit; *Christiani hominis* partes impleverit, & *hæresi* valedixerit. Quod si mussârit; cogitet quid respondere etiam possit ad infallibilitatem Pontificis *cum Ecclesia Romana particulari*? Item Pontificis *cum majori parte Ecclesiæ Universalis*? Quam ego ut certissimam agnosci etiam à Gallis, & pro Constitutione evidentissimè militare, demonstravi *Past. Boni* p. 1. à f. 94. usque ad 127: tacuit Patronus Protestantium.

COMPENDIUM SENTENTIÆ.

„ NOs GUILIELMUS DELVAULX *Presbyter* „ *S. T. Doctor* .... *Almæ Universitatis Studii Generalis* „ *Oppidi Lovaniensis* RECTOR .... Attento Dominorum „ Apostolici, Regii, & Archiepiscopalis Censorum ju- „ dicio ... tenoris sequentis : ... *Declaramus nos ... depre-* „ *hendisse, præfatum folium* (*Interrogata brevia* &c.) *sine* „ *ulla approbatione, sine nomine Impressoris, aut loci impres-* „ *sionis editum, esse* TEMERARIUM, SCANDALOSUM, PER- „ NICIOSUM, SUMMO PONTIFICI, EPISCOPIS, TOTIQUE „ ECCLESIÆ NEDUM CONTUMELIOSUM; VERÙM ETIAM „ EORUMDEM AUCTORITATI IMPUDENTER DEROGANS, NEC „ NON DEBITÆ EIS OBEDIENTIÆ JUGUM PRORSUS EX- „ CUTIENS, *ac denique, Heterodoxorum exemplo praeunte,* „ *Apostolicam Constitutionis* UNIGENITUS *doctrinam, quam* „ *tota Christi Ecclesia debito obsequio, atque obedientiâ sus-* „ *cepit*, SCURRILITER, IMPIÈ, AC BLASPHEMÈ TRADU- „ CENS. *Quibus consideratis, dictum folium censemus esse* „ *quantocyùs & severè prohibendum, atque ad aliorum exem-*

„*plum, justumque terrorem, publicâ ignominiâ, etiam* COM-
„BUSTIONIS *afficiendum: sed & in Auctorem, Impressorem,*
„*Venditorem, ac Distributorem esse inquirendum, & juxta*
„*Sacros Canones esse animadvertendum. &c. Dabamus Lo-*
„*vanii* 4. *Maii Anno* 1723. HERMANNUS DAMEN S. T.
„Doctor Regens, &c. &c. GERARDUS JOSEPHUS DE
„QUAREUX S. T. Licentiatus, &c. &c.„

„Hinc est, quòd iis malis, quæ ex similibus *famosis*,
„*scandalosis*, & *detractoriis* Scriptis oriuntur, occurrere
„volentes, de plurium Theologorum, & Juris-consul-
„torum consilio pariter & assensu auctoritate nostrâ Re-
„ctorali, seu potiùs Apostolicâ & Regiâ, quâ in hac
„parte fungimur, solum Deum præ oculis habentes,
„prædictum Scriptum prohibuimus & proscripsimus,
„prout prohibemus & proscribimus per præsentes, in-
„jungentes omnibus Suppositis nostris ut, si quæ exem-
„plaria præfati libelli habeant, eadem ad nos statim &
„indilatè deferant, & manifestent nobis, si quem sciant
„habere talia exemplaria, ... *sub pœna excommunicationis*
„*majoris ipso facto*, dicto termino elapso, *incurrenda* ...,
„item sub mulcta 25. florenorum in singula exemplaria
„per eos detenta. Mandamus insuper & ordinamus, ut
„præfatum Scriptum per Ministrum justitiæ in Atrio Hal-
„larum nostrarum *publicè laceretur & igne absumatur*, &c....
„Datum Lovanii sub sigillo nostro Rectorali & Secreta-
„rii nostri signaturâ, anno Dom. 1723. mensis Maii die 8.
De mandato Magnifici D. Rectoris.

Et signatum erat: BART. HENDRICKX Secret.

„Hodie 10. Maii, horâ matutinâ, præscripta Executio
„*Lacerationis* & *Combustionis* facta est in loco præscripto,
„quod attestor. Signatum erat: THEODORUS LEONAR-
„DUS STREITHAGEN Promotor Universitatis.„

APPROBATIONES.

HÆc *Petri Mallei Responsa* Quæsitorem Plagiarium tam citò, tam strenuè graviterque contundunt, ut ipsos Quênellianos pudere debeat Defensoris sui adeò inepti; qui nîl afferre potuit, nisi anticipatâ confutatione penitus enervatum. Datum 14. Maii 1723.

H. DAMEN S. T. Doct. Regens, Lib. Cens.
G. J. DE QUAREUX S. T. Licent. Lib. Cens.